FLORA.

№ 12.

Regensburg. 28. März. **1847.**

Inhalt: Original Abhandlung. Knaf, Exiguitates botanicae. — Literatur. Bulletin de la société impér. des Naturalistes de Moscou. 1845. Nr. II—IV. 1846. I—III. — Phytochemische Notizen. Riegel, über Lentites betulina. Bley, über die Blüthen von Plantago media.

Exiguitates botanicae, auctore Jos. Fr. Knaf, Dr. Med.

1. Potentilla Buquoyana Knaf.

Tota hirsuta, petiolis hirsutissimis, pilis patentissimis tuberculo insidentibus *dimorphis, aliis simplicibus eglandulosis, aliis articulatis brevioribus paucioribusque glanduliferis, caulibus in orbem patentibus aut e basi decumbente adscendentibus*, superne aut fere e medio paniculatis, *foliis rad. in caespitem caules dimidios superantem aut subaequantem congestis, 7—9-natis, foliolis oblongis aut oblongo-lanceolatis acutis aut subobtusis, utrinque hirsutis, supra obscure subtus pallide viridibus*, grosse inciso-serratis, *serraturis plerumque 9—14*, ovatis, *antrorsum subcurvatis porrectisve, serratura terminali minuta serraturas tamen proxime laterales paulo excedente aut serraturis tribus terminalibus minutis, foliis caul. inferioribus sensim brevius petiolatis, 5—7-natis, supremis sessilibus ternatis, horum foliolis lanceolatis aut lanceolato-linearibus integerrimis aut remote pauci-serratis, serraturis patentibus, terminali maxima, petalis obcordatis calycem excedentibus, eorum emarginatura denticulo instructa, carpellis elevato-rugossis, in tergo carina angustissima acuta cinctis.* 2l. In sylvis collinis frondosis praecipue quercinis in fundo limoso cum terra lithanthracea commixto. Eichbusch bei Eidlitz nächst Kommotau in Böhmen. Majo in medium Junii usque. Mox post P. vernam efflorescit.

Radix crassa, ex rudimentis foliorum emortuorum fusco-squamosa, *plerumque horizontalis superficialis*, rarius subrecte descendens demumque in locis caulium penitus emortuorum lacunosa, fibris validis

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05961-0185-7

longis instructa, *caules* in loco natali 1/4—1-pedales, *semper rubentes*, plerumque et folia seniora stipulaeque rubent, *folia rad. caespitem centralem erectum plus minusve densum formant*, plerumque septenata rarius nonata, rarissime intersunt quinata, hujus caespitis folia interiora longissime petiolata, *petioli praesertim juniores hirsutissimi, pilis demum divaricatis*, foliola singula margine ciliata, in medio plicata, seniora demum planiuscula, rarius occurrunt subduplicato-serrata, serraturis foliolorum intimorum in folio maximo aut longissime petiolato, perfectissime nempe evoluto, utrinque 9—14, rarius 15—16—18, approximatis, raro unum alterumve foliolum invenitur subovato-oblongum idque utplurimum in foliis parvis primordialibus minusque perfectis, pars basilaris cuneata integerrima foliolorum intimorum in folio maximo plerumque brevissima, pili foliorum infra ad nervum medium densi patentesque ceterum subtus supraque sparsiores et subadpressi, pili glanduliferi in hac specie multo copiosiores, quam in P. recta, omnibusque fere partibus insident, in sicco plerumque collapsi seu corrugati, glandulae in vivo plerumque rubentes, *stipulae plantae sponte crescentis semper omnes integerrimae*, foliorum rad. ex basi latiori sublanceolato-lineares acuminatae angustae, foliorum caul. inferiorum oblique lato-ovatae acuminatae, foliorum summorum lineari-lanceolatae, panicula terminalis vel e medio vel jam infra medium caulis constituta, non raro in corymbum compositum disposita, laxa, foliosa, *calycis sepala aequilonga acuta*, exteriora lineari-lanceolata immaculata, *interiora lato-ovata, in facie interna vitellino-maculata*, maculis fructu maturo evanescentibus, *petala* praecipue florum primordialium *pulchre vitellina* floreque perfecte explicato divaricata, raro occurrunt petala, quorum emarginatura caret denticulo, qui tamen in quolibet flore semper adest imo et plantae cultae. Ipsa enim jam per duos abhinc annos a peritissimo horti botanici Buquoyani Rothenhausensis inspectore D. Philippo Mittelbachio culta adhuc ibidem viget characteribus suis constans; *sed ex uno solum radicis corpore ultra centum caulium in orbem prostratorum protulit, quorum plurimi 2 1/2 pedum longitudinem habent*, stipulae eorum saepe inciso-dentatae.

Planta singularis pulchra et praeprimis ex vestitu piloso et charactere carpellorum bona erit species; secundum naturalem specierum expositionem cel. Kochii Syn. fl. g. et h. ed. 2. p. 236. etc. ex integumento piloso individuali Potentillam rectam, ex carpellorum charactere P. pilosam aemulatur; verum ex reliquo habitu toto, me judi-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05961-0186-3

cante, ante P. thuringiacam Bernh. inserenda erit. P. recta differt statura multo majore, caulibus ereetis, nunquam in orbem patentibus, foliis quinatis, rarius septenatis, carpellis carina alaeformi cinctis; P. pilosa distinguitur statura multo majori, caulibus erectis nec in orbem patentibus, hirsutis simulque tomentosis, pilis conformibus eglandulosis, foliis quinatis, foliolis foliorum inferiorum obovato-oblongis; P. thuringiaca differt pilis conformibus eglandulosis, foliis rad. septenatis, foliolis obovato-oblongis, subtus solum hirsutis, utrinque concoloribus, serraturis porrectis, utrinque 9—12, foliolis foliorum superiorum subadpresso-serratis, carpellis rugulosis nec carinatis verisimillimeque aliis notis, quas auctores in descriptione P. thuringiacae non addidere et quae me fugiunt, quum hanc speciem non possideo. Cel. DeCandollius imo dicit de P. thuringiaca: „foliis caulinis sessilibus, lobis (foliolis) lanceolatis obtusis"; in planta mea folia caul. inferiora adhuc longe petiolata, solum summa i. e. ramorum paniculae superiorum sessilia, nec sunt foliola obtusa sed acuta; cel. Kochius formam foliolorum P. thuringiacae non indicat; cel. Sprengelius eam ad P. intermediam reducit, dicens: „caulibus erectis, foliolis obovato-oblongis" cel. Reichenbachius eam unit cum P. chrysantha Trev., affirmans „foliola obovato-oblonga" esse. — Porro memoratu dignum, quod cel. DeCandollius in Prodr. syst. nat. p. II. p. 578. et cel. Steudelius in Nom. bot. p. 386. Potentillam parvifloram Gaud. ad P. canescentem Bess. reducant, cel. Kochius autem in Syn. fl. g. et h. ed. 2. p. 239. eandem plantam helveticam cum P. thuringiaca Bernh. conjungat, quum tamen utraque species sc. P. canescens et thuringiaca tum habitu externo tum characteribus essentialibus insigni modo longe a se distat. Cel. Reichenbachius plantam Gaudinianam qua varietatem P. intermediae L. designat. — Haec amice monui, censens, plantam helveticam de novo observandam et accuratius comparandam esse.

2. Carex ampullacea Good.

β. nutans Knaf.

Culmo gracili nutante foliisque elongatis, spiculis inferioribus foemineis, *superioribus androgynis, his inferne masculis, superne foemineis, aut inferne et superne masculis, in medio foemineis.* — Olim misi sub nomine: C. Sternbergii mihi. Auf sumpfigen Stellen im hohen Grase um Gesträuche auf einer Wiese bei Jaromierz in Böhmen.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05961-0187-8

3. Carex curvata Knaf.

Spica composita, subdisticha, *spiculis 4—8* alternis, *approximatis, demum plerumque subfalcato-curvatis, de regula oblongis aut oblongo-lanceolatis, omnibus androgynis*, inferne masculis, *infima saepe composita*, stigmatibus 2, *fructibus demum patentibus, glumam superantibus, ovatis aut oblongo-ovatis, sensim in rostrum bifidum attenuatis*, antice convexis teneriter multinerviis, postice basin versus planiusculis, superne subconcavis, *margine e medio aut infra medium apicem versus serrulato-ciliatis, culmo plerumque arcuatim decumbente, ad apicem recto, radice stolonibus elongatis repente.* 4. In sylvis collinis frondosis praecipue quercinis in fundo limoso cum terra lithanthracea commixto. Eichbusch bei Eidlitz nächst Kommotau in Böhmen, gesellig mit Potentilla Buquoyana. Medio Maji — Junii. *Glaucescens*, fere mense serius Carice Schreberi efflorescit, plerumque elongata, $^1/_2$ — 3 pedes alta et ultra, *spiculae dilute spadiceae, utplurimum oligocarpae.*

Inter C. Schreberi et brizoidem intermedia. Prior differt: spiculis 3—5, confertis, semper rectis, obovato-oblongis, omnibus simplicibus, profundius spadiceis, polycarpeis, fructibus erectis, glumam aequantibus, fere subito in rostrum bifidum acuminatis, margine medio aut supra medium apicem versus serrulato-ciliatis, culmo apice demum subnutante. Carex brizoides ab ea recedit: spiculis albidis, omnibus simplicibus, fructibus erectis, glumam aequantibus, lanceolatis, margine a basi serrulato-ciliatis. — Hanc Caricem a me propositam pro hybriditate ex Carice Schreberi et brizoidi progenita haberem, si in loco natali obveniret posterior; sed ibidem solum Carex Schreberi, tomentosa et muricata crescunt, necdum in aliis locis vicinis Commotovii Caricem brizoidem reperire potui, dum Carex Schreberi hicce locorum creberrime occurrit. Reliqua, quae ex descriptione Caricis curvatae adhuc restant, alio tempore addam.

4. Cladonia tectorum Knaf.

Thallo foliaceo minuto adscendente, humecto supra lutescenti-sicco subfusco-viridulo cinereove, *subtus albido utrinque glabro aut subtus hinc inde paucissimis verruculis instructo, margine lobulato, lobulis crenulatis, podetiis nullis aut subnullis aut minutis tumque apice dilatatis aut cylindricis subulatisve simplicibus, scypho de regula destitutis, curvulis, rarius rectis, undique squamulosis aut granulato-verruculosis, aut inferne squamulosis, su-*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05961-0188-4

perne granulato-verruculosis, humectis lutescenti-viridulis, siccis demum fuscis aut subfusco-viridulis cinereisve, *apotheciis polycephalis symphycarpeis aut monocephalis pleiocephalisve discretis*, *eorum disco coccineo*, *saepe fusco aut atro-fusco*. — In ligno putrescente Pini Abietis L. in tectis. Auf faulen Dachschindeln.

Lichen, uti plurimi hujus generis, polymorphus, pumilus, 2—6 lineas altus, rarissime superne divisus. Inter plura millia exemplaria vix unum scyphiferum. Ipse in innumeris speciminibus bis tantum observavi scyphum. In illis individuis, quibus nulla aut subnulla sunt podetia, *apothecia thallo insident* tumque tota plantula pygmaea planiuscula aut convexa aut subconica, inaequalis, deformis. Interdum apotheciis squamae foliaceae interpositae sunt. Individuis crassioribus apothecia sunt polycephala majuscula, angustioribus 1—3-cephala, saepe minuta. Raro reperiuntur *podetia* sterilia, *nunquam inveni prolifera*. Rarissime obvenit forma podetiis infra apicem aut in medio subventricosis, quae aemulatur Cladoniam papillariam Hoffm.; sed haec thallo subcrustaceo, podetiis laevibus, demum interdum granulosis, apotheciis minutis, eorum disco rufo-fusco a mea planta satis differt.

Secundum cel. Sprengel. Syst. veg. vol. IV. p. 271. haec Cladonia a me proposita proxime accedit ad Cl. ceratophyllam Spr. et Cl. fuscam Hoffm. interque eas quasi intermedia. Prior differt: thallo ciliato, podetiis omnibus subuliformibus albis sterilibus subdecorticatis; posterior distinguitur: laciniis thalli pinnatifidis crispulis, podetiis rectis laevibus submarginalibus, apotheciorum disco fusco. — Secundum vero cel. Rabenhorst. Deutschl. Krypt. Fl. vol. 2. sect. 1. p. 99. etc. eam inter Cl. cocciferam Baumg. et Cl. bellidifloram Fr. interponendam esse puto. Posterior ab ea dignoscitur: podetiis elongatis cylindricis nudis demum squamis foliaceis magnis obtectis, scyphiferis, saepe proliferis; Cl. coccifera Baumg. differt: thalli fibris radicalibus tomentosis, podetiis semper distinctis, altioribus, scyphiferis, nudis, demum granulatis aut verruculosis, scyphis integerrimis aut margine crenato-dentatis, saepe proliferis. — Profecto, ne speciem crearem praecocem, jam in ea eram, ut plantam meam secundum cel. Rabenhorst. in op. comm. p. 169. ad *Cladoniam cocciferam B. incrassatam* reducturus essem; verum haec varietas habet thallum subtus pulverulentum, podetia semper omnia distincta, simplicia aut ramosa, apice incrassata nec cylindrica nec subulata, vix squamis obtecta, apothecia conferta nec thallo insidentia; ceterum *haec varietas*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05961-0189-2

cum altera *b. curvata* ab eodem cel. auctore indicatur *rarissima, in terra turfosa habitans; mea* autem planta *in tectis putrescentibus ubique tam vulgaris* et crebra uti *Cladonia coccifera A. vulgaris in terra.* — Quae in descriptione meae plantae, praecipue ejus *scyphi semper perquam rari*, adhuc deficiunt, alio tempore describam.

Obs. Etiam Cladonia coccifera Baumg. in uno eodemque loco natali eodemque tempore imo in eodem podetio saepe fert apotheciorum *discum* coccineum *et simul fuscum aut atro-fuscum*, *imo et occurrunt disci solum fusci*, etsi formae posteriores rarius inveniuntur.

Commotovii 23. Febr. 1847.

Auctor.

Literatur.

Bulletin de la société impériale des Naturalistes de Moscou. Année 1845. Nro. II—IV. Année 1846. Nro. I—III. Moscou, 1845, 1846. 8.

Flora Baicalensi-Dahurica seu descriptio plantarum in regionibus cis- et transbaicalensibus atque in Dahuria sponte nascentium, auct. N. Turczaninow. (Ann. 1845. II. S. 295—326.) — Wir finden in dieser Fortsetzung folgende Familien bearbeitet: *Araliaceae* mit der einzigen Art *Adoxa Moschatellina; Corneae* mit *Cornus alba*; *Caprifoliaceae* mit *Sambucus racemosa*, *Viburnum Opulus*, *V. Dauricum*, *Lonicera coerulea* und der neuen *L. chrysantha*, dann *Linnaea borealis; Rubiaceae* mit *Rubia cordifolia* (von welcher die gleichnamige abyssinische Art in Schimp. coll. sect. 1. n. 24. als *R. discolor* unterschieden wird), *Galium uliginosum*, *trifidum*, *Dauricum* n. sp., *Aparine*, *boreale*, *verum*; *Valerianeae* mit *Patrinia Sibirica*, *rupestris*, *scabiosaefolia*, *Valeriana capitata*, *heterophylla* n. sp., *officinalis*, wozu *V. alternifolia Ledeb.* als var. β. gerechnet wird: endlich *Dipsaceae* mit *Scabiosa Fischeri* und *S. ochroleuca.*

Diesen folgt (Année 1846. III. 135—210.) der Anfang der Familie der *Compositae*, wovon wir hier die Gattungen mit ihrer Specieszahl und die neuen Arten namentlich aufführen: *Nardosmia* 2 (saxatilis), *Aster* 6 (chrysocomoides), *Galatella* 1 (diese Gattung dürfte nach dem Verf. mit Linosyris zu vereinigen seyn, weil die Zungenblümchen auch der var. β. discoidea von G. dracunculoides fehlen), *Turczaninowia* 1, *Calimeris* 4 (integrifolia), *Arctogeron* 1,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05961-0190-6

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1847

Band/Volume: 30

Autor(en)/Author(s): Knaf

Artikel/Article: Exiguitates botanicae 181-186